Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1567
Quelle:
Copyright:

tibi eam tripliciter. Prov. XXII. Cum omnis ſcientia gerat trinitatis inſigne et precipue illa que docetur in ſacra ſcriptura. debet in ſe repreſentare veſtigium trinitatis propter quod dicit ſapiens de hac ſacra ſcriptura ſe eam tripliciter deſcripſiſſe propter triplicem eius intellectum ſpiritualem ſ. moralem allegoricum anagogicum. Hic autem triplex intellectus reſpondet triplici actui Jerarchie ſcilicet purgacioni illuminacioni perfectioni. Purgacio autem ad pacem ducit, illuminacio ad veritatem, perfectio ad caritatem &c. Eſt vero totus in proponendis Meditationum Schematibus, quibus ad calcem ſubditur: *Finitus eſt ternarius.*

III. *fol.* 27. *Incipit hugo* (a S. Victore) *de arra ſponſe.* Ita: *Loquar ſecreta anime mee et amica confabulacione exigam ab ea* &c. Prout extat in Opp. omn. *Rotom.* 1648. T. II. p. 223. f.

IV. *fol.* 38. Biga Epiſtolarum. Prior quidem *Petri Bleſenſis* ad quendam *Magiſtrum Alexandrum* dehortatoria, ne Ordinem Carthuſianum deſerat, quae incipit: *Si concepte indignacionis ſpiritum poſſem diſſimulare* &c. et eſt in *Bibliotheca PP. Lugd.* T. XXIV. p. 1004. *n.* 86. Altera D. *Hieronymi ad Heliodorum* de Contemtu Mundi, quae incipit: *Quanto amore et ſtudio contenderim* &c. et eſt T. I. edit. *Vallarſ. col.* 28. *n.* 14. Ad has Epiſtolas ita praefatur Scriptor: *Utique ſcio acceptum fore patribus domus uallis yoſaphat debitum meum duarum ſcilicet epiſtolarum ſequencium, quas, dum aput uos hoſpitarer ego indignus colloquium habens cum venerabili patre et chriſti miniſtro ſtephano de duobus punctis tali ſigno ✠ poſitis ſcribendas promiſi. Sed quid hoc in comparacione illius caritatis, qua aput uos ſum potatus, et frequenter etiam nomen uallis yoſaphat quandam uiſionem cordi meo ingerit, de qua beatus pater Jeronimus ita loquitur: Vidit yſaias dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum et elevatum; vidit et daniel ſedentem dominum ſed non ſuper ſolium excelſum et eleuatum, pollicetur et alibi uox diuina dicens: Veniam et ſedebo et iudicabo populum in ualle ioſaphat, quod interpretatur domini iudicium. Qui peccator eſt, et mei ſimilis, uidet illum ſedentem in ualle yoſaphat, non in colle, non in monte, ſed in ualle, et in ualle iudicii. Qui uero iuſtus eſt et yſaie ſimilis, uidet illum ſedentem ſuper tronum excelſum et eleuatum. Hoc quidem ille. Ego autem uerius multo mihi conuenire arbitror, quam idem ipſe ſanctus aliam de ſe protulit ſententiam dicens: Ego in ſcelerum meorum ſepulcro iacens et peccatorum vinculis dominicum de euangelio expecto clamorem. W. ueni foras, ut tandem audiam, quid loquatur in me dominus de ualle yoſaphat, reſpiciens ſtellam, inuocans mariam, ut digne poſſim uobiſcum dicere Aue Maria.* Etiam in calce *Dolanenſium* memoriae ſe commendat ignotus hic *W.* apud eos hoſpitatus inter an. 1388.—421. hoc enim temporis ſpatio praefuit eis *Stephanus*